

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum
in primis malas, concernit**

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

CXLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](#)

CXLII. Est autem actio in genere, definiente Fr. Suarezio,
forma accidentalis, per quam potentia activa, in actu secundo constituitur &
 per quam dependet aliquid ab ea. Quod ut rectius intelligatur, sci-
 endum est, potentiam activam quamlibet, vel in actu primo con-
 siderari, quatenus agere potest, vel in actu secundo, quatenus actu
 operatur & se exerit, atque ut actu agere & sese exercere possit, per
 actionem fieri. Hinc Aristotelis *metaphysica* est, lib. II. Eud. c. III.
 Et si enim: *utrum omnis actio sit motus?* inter primae philosophiae
 Doctores controvertatur, negativam sententiam plerisque tue-
 tibus, cum DEI operatio, intellectio scilicet, non sit motus, immo
 neque creatio, neque providentia, quantum haec talia in DEO in-
 telliguntur; (nam, ut recipiuntur in paciente, utique motus sunt)
 qua de re Petr. Hurt. de Mendoza, Disp. Phys. XI. sect. III. facilis-
 tamen est conciliatio, si observetur, utrumque terminum, & motu-
 s & actionis, vel pressius accipi, quatenus realem in rem aliam
 influxum & mutationem in agente, quod ex eo, quod agere aptum
 est, fit agens actu, involvit; qua ratione DEI operationibus mo-
 tus quidem non competit, sed nec actio recte potest adscribi: *vera*
 enim *actio est naturalium agentium*, Deus autem non est agens physicum, et
 sit agens physique. I.I. Phys. T. LXXXIII. quia est immobilis; ait Ernest. So-
 nerus, ad lib. V. Met. Ar. c. XV. vel latius, quatenus quodvis po-
 tentiae activae exercitium denotat, & a quovis animante, seu ra-
 tionali seu irrationali, immo ab eo quoque, quod est *narrans ani-
 matorum regi et narrans agentes*, proficiscitur: Qua ratione recte se &
 movere & agere dicitur Deus, cum creat, cum intelligit, vel
 simile quid operatur. Quæ cum actionis naturam & indolem
 sufficienter nobis repräsentent, amplius notandum est, actionem
 non tantum competere substantiis & suppositis, quæ alias princi-
 piū operationis Quod & ultimum vocantur, de quibus exaudi-
 enda regula est: *actiones & passiones sunt suppositorum*; sed formis
 quibuslibet aliis, tanquam principiis & subjectis Quibus. Cum
 enim *actionis quidem communib[us] rebus agentibus insit*, sed proficiuntur ab
 ipsis, quib[us] formæ quadam sunt predite, que aut substantia est, aut qual-
 itas quedam, dicente doctissimo Schegkio, Comm. in Prædic. Arist.
 de Actione, fit, ut non agens tantum ipsum, sed & forma, per quam
 agit, agere dicatur; quemadmodum & hominem & intellectum

in-

intelligere, & DEUM & omniscientiam ejus res omnes prævide-
re, & ignem & calorem calefacere dicimus. Ex quibus patet,
agere damnatos dici, quotiescumque potentia quædam in iis in
actu secundo constituitur, veluti cum aptitudinem loquendi, ho-
mini naturaliter insitam, in locutionis actum deducunt, neque
locutionem de damnatis tantum, sed de ore quoque damnato-
rum, tanquam instrumento loquendi, & de ipsâ loquendi poten-
tiâ, quamquam de illis primò, de his autem secundò, rectè enun-
ciari.

CXLIII. Ut verò constet, quam varia, quamque diversa age-
re damnati, & de quam infinitis actionum generibus formari
quæstiones haud injuriâ possint, in conspectum primò generales
nonnullas actionum distinctiones, deinde in specie humanarum
actionum, ad potentiarum ei inexistentium, ex quibus actiones
exoriuntur, numerum exactum, quandam quasi catalogum sub-
jiciemus. Sunt autem actiones omnes vel immanentes, quæ in
eodem subiecto, aliquando etiam in eadem potentia recipiuntur,
è quâ exiere atque ediræ fuere, veluti intellectio, volitio, motio,
ambulatio; quarum nonnullæ in homine, nonnullæ etiam in
eadem facultate hominis recipiuntur; vel transeuntes, quæ in eo-
dem supposito non recipiuntur, è quo oriuntur, veluti cum homo
hominem vulnerat, ubi objectum in quod vulneratio transit, mu-
tatur & vulnus extra vulnerantem relinquitur. Præterea actio vel
substantialis est, per quam substantia producitur, ut generatio,
creatio; vel accidentalis, per quam accidens producitur, ut alte-
ratio, accretio. Porro alia instantanea est, quæ fit in instanti,
absque ullo temporis tractu, ut generatio, si accipiatur pro indu-
ctione formæ in materiam, sine præviis alterationibus; alia suc-
cessiva, quæ requirit aliquam temporis moram, ut verberatio, bla-
phematio, cum pluribus verbis majestatis Divinæ honorem vio-
to. Item alia actio est materialis, seu realis, qua reale quidpiam
producitur, ut transportatio corporis; vel intentionalis, cum ag-
ens sui tantum speciem in paciente producit, veluti cum quis
speculo formam suam imprimit, aut in alterius intellectu ideas
speciesque variarum rerum excitat. Denique alia actio est dire-
cta, cum agens agit & tamen agere se nescit, veluti cum calor cale-
factit